


05

A

803





IN NOMINE JESU  
EXERCITATIONUM METAPHYSICARUM  
SECUNDA

DE  
N A T U R A

ESSENDI

*Quam*  
SUB PRÆSIDIO  
RECTORIS MAGNIFICI

V I R I

PRÆCLARISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI

Dn. M. CHRISTIANI TRENTSCHII,

LOGICES ET METAPHYSICES PROFESSORIS  
PUBLICI CELEBERRIMI.

Dn. Præceptoris, Patroni ac Promotoris omni  
observantiæ cultu æviternum deve-  
nerandi

*Publico Eruditorum Examine subicit*

VVOLFANGUS FRIDERICUS à RODA,

Bösnecensis Thuringus,

AUTOR,

*An Auditorio Majori ad diem Septembr.*

*Horis antemeridianis.*

---

WITTEBERGÆ

Literis exscribebat Johannes Röhnerus, Acad. Typogr.

M. DC. LII.

VIRIS

*Reverendis. admodum, Nobilissimis, Consultissimis, Experientissimo,  
Excellentissimis, Clarissimis,*

DN. TOBIÆ SEIFARTO, S.S. TH.D. celeberrimo,  
Superintendenti Ducatus Saxo - Coburgi Generali, Confi-  
storij Assessori, Gymnasij Professore vigilantissimo, meritissi-  
mo, Scholarchæ gravissimo.

DN. JOHANNI CRISTOPHORO SELDIO, S.S.  
Th. D. famigeratissimo, Ecclesiæ Römhildensis Pastori & vi-  
cinarum Superintendenti vigilantissimo, dignissimo.

DN. JOHANNI CHRISTIANO Umling/  
J. U. D. celebratissimo, Hereditario in Meder &c.

DN. GEORGIO PHILIPPO Umling/Præfecturæ  
Saxo-Coburgi Quæstori exquisitissimo, meritissimo, Scho-  
larchæ gravissimo.

DN. ANDREÆ MACKIO, Med. Doct. celeberrimo,  
Aulæ Schwartzburgiæ Archiatro dignissimo, & Practi-  
co apud Rudolpho-politanos felicissimo.

DN. M. ANDREÆ Fromman/ Illustris Gymnasij  
quod Coburgi est, Directori famigeratissimo, COETERISQUE  
DNNN. PROFESSORIBUS PUBL. longè celeberrimis.

NEC NON

VIRIS

*Amplissimis, Consultissimis, Spectatissimis, Prudentissimis,  
Integerrimis,*

DNN. COSS. SYNDICO Et reliquis DNN. SE-  
NATORIBUS Reipub. Coburg. vigilantissimis, tam doctrinâ  
quàm humanitate & dexteritate maximè conspicuis,

05 A 803

*Dnn. Mæcenatibus, Promotoribus, Præceptoribus, Avun-  
culo, Patronis, Fautoribus atq; Benefactoribus suis  
Magnis, æternæ observantiæ cultu prosequendis,*

Hoc quale quale observantiæ monumen-  
tum in ulteriorem favoris tenorem

*humiliter & submissè offert*

A. & R.





## Præloquium.



Non putandum, ac si quicquàm in  
Metaphysicæ pomœrio tractetur,  
quod suo careat fructu, quodvè  
non insignem spiret utilitatem: Ex  
Metaphysica enim, ut nobilissimo  
DEI dono, omnium aliarum scientiarum cer-  
titudo & principia unicè dependent. Quantò  
enim increatum creato, infinitum finito, æter-  
num caduco præstantius, digniusq; est: tantò  
hæc scientia reliquis præstat omnibus: Et ut Do-  
mina famulas, ita Metaphysica cæteras discipli-  
nas dignitate superat. Hæc illa est, quâ Fa-  
cultates superiores carere nequeunt; Non di-  
cam, quid Medico præstet illius cognitio; Hac  
vice insignem prætereo in Juris prudentia u-  
sum; Hoc saltem addo, in Theologia quantus  
sit ejus usus, novit ille, qui in certaminibus The-  
ologicis paulò accuratius est exercitatus. Quan-  
doquidem contra adversarios vel parùm, vel o-  
mninò nihil efficiet sine terminorum Metaphy-  
sicorum cognitione. Cùm ergò futurus Theo-

logiæ studiosus vix ac ne vix quidem absque horum terminorum intellectu feliciter progredi queat: præsentem hanc exercitationem elaborandam suscepi, utpotè, studio meo maximè profuturam, persuasus. Absque ulteriori itaq; circuitione divinò imploratò auxiliò, ut gratiâ suâ benignissimè adesse velit, rem ipsam aggredimur. Sit ergò.

THEOREMA I.

Ens est, quod habet essentiam realem.

*Explicatio.*

§. 1. Terminus Entis non sumitur *generalissimè*, prout includit Ens rationis & per accidens, quippè, quæ non tam Entia sunt, quàm Entium defectus; Definitur enim Ens rationis, quod fortiatu esse objectivum ab intellectu, hoc v. non tam esse quàm fingi & excogitari censendum; Et rectè Scheiblerus l. 1. Metaph. c. 2. art. 5 *Ens rationis in Metaphysicis tractari negat*, quia negationes, ut & in genere Entia rationis, non sunt per se intelligibilia. Deindè, quod subjecti constitutio in unaquaq; disciplina respiciat non ea, quæ per accidens & secundariò in scientia cognoscuntur, sed quæ ibi primariò & ex instituto considerantur. non *specialissimè*, prout scilicet excludit Ens nominaliter seu substantivè acceptum (denotans essentiam possibilem) & includit Ens saltem participialiter sumtum, significans essentiam actualem seu existentiam, pertinens ad quæstionem *an sit?* vide Rev. D. Seldium disp. Metaph. 2. sect. 1 §. 1. *Quando Ens*, inquit Scheiblerus l. 1. Metaph. tit. 1. art. 14 *sumitur ad modum Participij à verbo sum, tum est illud, quod actu est in mundo. Sumrum autem ad modum nominis, tum perindè est, sive existat, sive non, id est, indifferenter dicitur ad id quod possibile est, etiam quod jam dum existit. Sed generaliter, quatenus præscindit à DEO & creaturis.*

§. 2. Se-

§. 2. Secundum hanc acceptionem æquipollet ipsi RES, ALIQUID, ESSENTIA, EXISTENTIA, QUIDDITAS, NATURA & FORMA; Quorum tria priora, *Res* scilicet *Aliquid*, *Essentia*, in Schola Metaphysicorum vocantur *Synonyma Entis primæ classis*, posteriora quatuor, *Synonyma Entis secundæ classis*. Autorum nonnulli *Ens* & *Rem* distinguunt, & Rei ipsam essentiam, Enti vero essendi tribuunt actum. Sed hoc posterius, ut loquitur Rev. & Excell. Dn. D. Scharfius in Theor. transc. disp. 2. p. m. 69. *si intelligatur de actu existendi determinato, falsum est.* Nos ergo, pergit, ex communi loquendi modo edoceri statuimus, quod *Res* prorsus idem sit cum *Ente*, nec ab eo distinguatur, nisi nominatione. In cuius sententiam quoque abit Scheible-  
rus l. 1. Metaph. c. 2. tit. 1. art. 2. it. Excell. Dn. D. Seldius Disp. Metaph. secundæ l. c. *Sicut Ens*, inquit, *dicitur de quovis sive existat sive non: ita & RES* (2) *Res* non secus atque *Ens* secundum æquivocam significationem de Entibus realibus & rationis enunciatur.

§. 3. Circa *Rem* occurrit 1. *Etymologia*. *Res* dicitur à *ratus*, *a*, *um*, sic, ut notet *Entitatem firmam & realem*: vel à *reor*, *reris*, ut habeatur saltem respectus ad intellectum, noteturque quod rei possimus. Isto modo dicitur tantum de *Entibus realibus*, hoc modo de *entibus rationis*. Unde distinctio inter *Rem realem* & *Rem rationis*. 2. *Homonymia*: *Res* autem tam variè ac *Ens* ipsum sumitur. Verùm *Res* opponitur aliàs 1. *Narrationi* apud Historicos, 2. *personis & factis* apud Rhetores. 3. *Voci significativæ* apud Logicos. 4. *Apparenti & intentionali* apud Physicos, 5. *Spei in sacris*, de hisce vide Pl. Rev. Dn. D. Calovium in Metaph. suâ divinâ c. 3. m. p. 210.

§. 4. Circa alterum Entis synonymum ALIQUID itidem notanda est originatio. *Aliquid* à quibusdam annotante Scheiblero d. l. dicitur quasi *aliud quid*, indeque rationem addunt, Sicut unum dicit indivisionem cujusque in sese, ita, ajunt, *aliquid* significare divisionem ab alio, adeoque esse affectionem Entis, ut *Unum*. Sed nodum hunc resolvit Excell. Dn. D. Scharfius l. c. n. 25. *Verum*, inquit, *neq; Etymologia commoda est neq; inde sequitur quod volunt isti Autores. Licet namq; ita sumatur Ali-*

quid, non tamen inde efficeretur distincta affectio Entis, sed includeretur in unius ratione, cujus consequens est divisio seu Alietas Entis ab uno. Dicitur vero *Aliquid* quasi habens quidditatem aliquam, & hac ratione ei opponitur *Nihil*: sed constat, *Nihil* & *Non-Ens* idem esse. *Aliquid* ergo etiam erit idem cum Ente. Cui sententiæ æquipollet ista Svarezij Disp. Metaph. 3. Sect. 2. *Aliquid*, inquit, duplicem Etymologiam admittit, Unam, quod idem sit *aliquid*, quod habens quidditatem aliquam, sive enim hæc fuerit prima derivatio nominis, sive non; tamen jam in communi usu in hoc sensu accipi videtur: *Aliquid* enim & *Nihil* contradictoriè seu privativè opponi censentur: *Nihil* autem idem significat quod *Non-Ens* vel non habens Entitatem, vel Quidditatem. In hac significatione constat, *Aliquid* non esse passionem, sed synonymum Entis. Alteram, quod dicatur quasi aliud quid, & juxta hanc, significat de formali *aliquid* distinctum ab Ente. Remanet ergo quod hæc tria *Ens*, *Res*, *Aliquid*, plenè & planè sint *Synonyma Grammatica*; Adeò, ut non, nisi quoad voces differant, perinde ac *ensis* & *gladius*.

§. 5. Præterea ad Synonymum Entis primæ classis spectat *Essentia*, quod etiam cum Ente planè est eadem. *Essentia* enim est id, quod *Res* est in se, sic *essentia auri* dicitur, quod *aurum* est in se. Melioris explicationis ergo, considerari potest vocabuli *Essentia* cum *Homonymia*, tum *Synonymia*. *Homonymiam* quod attinet, sumitur illa 1. pro definitione, 2. pro natura rei, 3. pro eo, quod *res* est. *Synonymiam*, qua *Essentia* ob varias habitudines & relationes sortitur varias denominationes. Dicitur. 1. *Forma*, *Terminus*, *Quidditas*, *Natura*. vid. Excell. Dn. D. Scharfij Metaph. Exempl.

§. 6. Tenenda hic venit distinctio *Essentia* & *Existentia*, e-  
jusdemque genuinus & verus sensus. Apud Autores accipitur variè *essentia* & *existentia*. 1. ponitur *essentia* pro re aliqua abstractè & in se considerata; *Existentia*, pro subjecto in quo *res* hoc vel illo modo existit. 2. interdum contradistinguitur *essentia* *existentia*, sic, ut hæc ab illa possit separari. At, in hoc modo *existentia* æquipollet *subsistentia*. 3. *Essentia Entis* nonnunquam denotat *possibilitatem*, *Existentia*, verò ejus *actualitatem*, si scilicet  
est



est extra causas. 4. *Essentia* notat statum *universalem*, *Existencia* *singularem*, ut : res corporeæ non secundum *essentiam*, sed *existenciam* pereunt ; quæ opiniones impræsentiarum non inveniunt locum, quia hujus loci alienæ. Potius cum probatis Autoribus statuendum, *Essentiam* & *Existenciam* hoc loco *Entis esse* *Synonyma*, & differre saltem ex ordine concipiendi, & loquendi modo.

§ 7. Etiam si accurata *Entis* definitio dari nequeat, cum ejus conceptus sit latissimus, aliqualem vero ejus dari posse descriptionem non negatur, quò per explicationem unius termini per alium, *Entis* nobis innotescat *natura*. Attamen, ejusdem qualis qualis etiam sit descriptio, benè ponderanda venit. Dicitur vero *Ens est, quod habet essentiam*. Alij sic: *Ens est, quod non repugnat esse*. Hæc descriptio licet coincidere videatur, potius tamen affirmativis quàm negativis efferendum esse terminis creditur. Res enim *non quid non sit, sed quid sit*, dicenda. Alij aliter; quorum opiniones apponere nimis longum foret, mei etiam instituti hac vice non est propter pagellarum angustiam, illorum cum Autoribus examinare theses, indeque verum elicere. Quando *Ens* per *τὸ habere essentiam realem* describitur, phrasin illam rigorosè sumendam, interque *Ens* & *Essentiam* reale quoddam discrimen statuendum esse, animus nullatenus est, ut patet ex §. 6. videtur vero vox *habere*, inferre aliquod discrimen inter *habens* & *rem habitam*, sed neutiquam. Audiamus Scheiblerum l. i. *Metaph.* c. 2. tit. 2. *Si Ens, inquit, & Essentia, ut sic, essent realiter distincta ut habens & habitum, tum Deus non rectè diceretur Ens, in quo Essentia non est ab ipso distincta*. Interim ut loquitur Rev. & Excell. Dn. D. Scharf. in *Theor. Transf. Disp.* 2. *ex necessitate intellecttionis nostræ licet ita loqui. Ens est quod habet essentiam, ut tamen inde non notetur discrimen aliquod secundum rē, uti & in alijs solemus loqui*. Sic dicimus Deus habet naturam divinam, Deus habet omnipotentiam: ubi sanè inter *habens* & *habitum* non est distinctio realis. Sic quoque hîc loci de *Ente* idem judicium esto.

THEO.

THEOREMA II.

Conceptus Entis est duplex, Objectivus & Formalis: Ille nihil aliud est quam res ipsa, prout obicitur intellectui & ita concipitur. Hic est forma accidentalis in mente hærens, per quam res ipsa extra intellectum posita cognoscitur atque concipitur.

*Explicatio.*

§. 1. Vox *conceptus* quæ à verbo *concupere* derivatur Sæpè tribuuntur *proprie* competit, *improprie* vero & *metaphorice* menti tribuitur. Et illo modo denotat partum, quæ ex congressu maris & foeminae intra uterum concipitur, & adveniente natiuitatis articulo in hæc eluctatur auras. Quemadmodum v. (*sunt verba Scholasticorum*) ex congressu maris & foeminae concipitur intra uterum foetus, qui per natiuitatem in lucem editur; ita ex concursu *objecti* vel eiusdem *speciei* cum intellectu concipit in mente intellectus ipse, intra sese quasi prolem, quæ est verbum mentis aut species intelligibilis expressa actu, ceu imago expressissima representans objectum. Eo ipso enim quod aliquis intelligit, format in se similitudinem rei, per quæ res est præsens intellectui in ratione *termini* & *objecti*, in quo intellectus intus legit & intelligit.

§. 2. *Objectivus conceptus* ipsa res objecta dicitur: Sic quando intueor tabulam sive mensam, mox species sensilis sive imago mensæ spargitur in visum, & à visu ad sensum communem, sive phantasiam perfertur, post, intellectus hanc imaginem illustrat atque sic speciem intelligibilem constituit, quæ datâ, sequitur actus cognitionis, quo intellectus mensam concipere & *formaliter* representare allaborat. Quæ actum hunc tandem sequitur intellectio, *formalis* dicitur *conceptus*. Ergò mensa ipsa *conceptus* erat *objectivus*, seu res objecta vid. Cl. Dn. Spenglerum Exerc. Metaph. 2. §. 2.

Sic

Sic cum video *canem* per plateas currentem, ibi à *cane* *imago* seu species & forma quædam imprimitur menti seu animo, quæ *imago* mihi repræsentat *canem*, etiam quando ex oculis meis evanuit, & vocatur *conceptus formalis*, quia est forma mentis. Ipse autem *Canis*, animal latrabile extra mentem *conceptus objectivus* dicitur, quia est objectum, & per extrinsecam solùm denominationem *conceptus* vocatur. Mentis nostræ officium est *concipere*: *Conceptus* verò quia est *accidens positivum*, & qualitas quædam, non potest alibi habere proprium esse nisi in mente. Accidentium enim esse est inesse. E. G. *Imago*, forma s. species *Canis* aut *Equi*, aut alterius rei nullibi potest esse nisi in animo s. mente nostrâ, cui etiam dicta animalia repræsentat. Animalia autem ipsa propriè loquendo *conceptus* non sunt, sed res extra mentem vel animum existentes, *Conceptus* v. *Objectivus* dicitur, respectu habito ad *conceptum* propriè sic dictum nempe *formalem* in mente. E. G. eo modo quo paries dicitur visus, in quo tamen visio non est, sed in oculo, ita etiam dicitur propter denominationem extrinsecam: quippe quæ *objecta extrinsecè* solùm denominantur per respectum ac *conceptum formalem*, qui est in mente, & intrinsecè & essentialiter *conceptus* est. Ut docet Excell. Dn M. *Andreas Frommannus* Præceptor ac Patronus meus honorandus, in prælectionibus suis Gymnasticis.

§. 3. Hic *conceptus* Entis *objectivus* unus est, quia omnia Entia in una natura cõvenire, & sub illa concipi, atq; hac ratione unum *conceptum objectivum* constituere possunt. Ubi enim intellectus noster non potest simul multa apprehendere, sed in unum fertur, & circa distincta distinctè versatur; ita quando Ens quoddam concipit, non in plures distrahitur, sed ex pluribus naturis potius se colligit ad essentiam primam, & unum *conceptum* repræsentativum omnium constituit. Unde D. Jac: Martini p.m. Exerc. Metaph. l. i. inquit, *Censendum est, dari tale conceptum objectivum, qui adequatè & immediatè respondeat Entis conceptui formali* (quod verò *conceptus formalis* unicuique sit, constat ex mox sequentibus) *nec expressè dicat vel substantiã vel accidens. Formalis enim conceptus totam suam unitatem*

B

&

& rationem habet ab objecto. Ut igitur sit unus, tendat oportet in objectum aliquo modo unum. Objecta namq; externa sunt mensura nostræ cognitionis & conceptuum in anima. Cum igitur *conceptus objectivus* nihil sit aliud, quàm objectum per *conceptum formalem* apprehensum & cognitum, sequitur, si *formalis conceptus* Entis est unus, etiam *objectivus* unus erit, quia à *conceptu objectivo*, ut dictum, *formalis* totā suam unitatem & rationē habet. Et si *conceptus objectivus* non esset unus sed *aggregatus*, tum pro objecto adæquato, haberet *aggregationem* plurium naturarum Entis: id quod absurdum; Illæ enim naturæ dari nequeunt, neq; modus, quo in illo conceptu aggregentur. Hinc est, quod veritas enunciationis desumatur ab *objectis*, non à *formali conceptu* s. à *subjecto*. *Conceptus v. objectivus* debet esse præcisus ab omnibus particularibus s. membris dividendis Entis, etiamsi sint maximè simplices Entitates.

§. 4. *Conceptum* Entis *formalem* quod spectat, etiam unus est. Quia enim *conceptus objectivus* ob rationes hæcenus allatas est unus, *formalis* etiam unus sit oportet, cum signum & signatum &c. convenire debeant. Quod & hic *conceptus* unus sit, multis id probari potest. 1. Quando audimus vocem *Entis*, tunc animus noster non ad plures dispescitur partes, sed potius ad unum quid colligitur. 2. Quia unus datur *conceptus formalis existentie* quatenus talis; Datur etiā *formalis conceptus* unus *existentis*. 3. Quia ex se dicitur *primus*. Est itaq; unus hic *conceptus formalis* Entis, & quidem adeò unus, ut non possint esse plures secundum habitudinem ad objecta magis determinata seu distinctius ex parte objectorum concepta; Non obstat, quod nonnulli apponant, *entis conceptum non secundum rem, sed tantum secundum rationem præcisum esse*: quia etiam DEO competat Entis, qui simplicissimus, & in quo omnia sunt essentialia. Quare mentem nostram ex diversis relationibus, in ipsius *Essentia*, quandam diversitatem excogitare, quæ tamen re ipsa in Deo non inveniatur. Sed distinguendum hic cum B. D. Jac: Martini inter *conceptum objectivum* & *formalem*: quoad *objectivum*, inquit, *defacili illis concedendum non v. quoad formalem*.

§. 5. Distinguitur autem *conceptus formalis* ab *objectivo*, quod ille semper sit vera ac positiva res, & in creaturis qualitas inherens; hic nō semper sit vera res, ac positiva cū concipiamus interdum etiam *privationes*, & alia quæ vocantur *Entia rationis*, quia solūm habent esse *objectivè* intellectu. Ille semper est *ens singulare*, hic *nunc singulare nunc universale*; Ille semper est *Ens reale hic tam rationis quàm reale*; ille ab inferioribus *realiter* & *exclusivè* est abstractus, *hic non re, sed ratione* est abstractus ab inferioribus.

§. 6. *Conceptus* Entis *respectivè* consideratus non est *equivocus* nec *univocus* sed *analogus*. *Equivocus* non est, quia *equivoca* nec pariunt scientiam neque prædicata habent essentialia, in quæ possint dividi, neque de illis aliquid certi potest prædicari propter indistinctionem. Atqui *Ens* gignit scientiam, habet prædicata essentialia & super illo multa fiunt enunciata, *E.* non est *equivocum* vid. Exerc. Metaph. D. Jac. Martini. Et, si juxta nonnullos *Ens equivocè* de Deo & creaturis diceretur, sanè de Deo naturaliter nihil cognosceremus.

§. 7. *Univocus* non est, cum *univoca* æq; primò conveniāt, & æquali attributione dicantur, quippe quod inæqualiter, nempe, uni *primariò*, alteri *secundariò* attribuitur. Expediit opinionem sanam hac de re exposuisse. Autorum quidam pro *univocatione Entis* militant, hac ducti ratione; quod *Ens* immediatè significet *unum conceptum cōmunem* DEO & Creaturis, & ob id sit *univocum*. Verūm cum Dn. D. Scharffio Præceptore nostro summè devenerando l. c. respondemus, hæc tanti momenti non esse, ut à veritate nos abripiant. Negatur ergò rationem *Entis* omninò eandem esse in DEO & Creaturis. Nam, DEUS est *Ens*, quia à se est, creaturæ verò sunt *Entia*, quia sunt ab alio. Deinde omne *univocum* est vel *genus* vel *species*: At neutrum de *Ente* dicitur.

§. 8. Sed *analogus*, non quidem *analogiâ proportionis*, quæ in proportione consistit, & semper aliquid metaphoræ & impropriæ includit. Ut: homo dicitur ridere à proprio ridendi actu; Pratum vero dicitur ridere à viriditate, quatenus scilicet proportionem habet ad hominem ridentem, & sic per me-

taphoram pratum dicitur ridere. *Analogia est attributionis,* quæ fit duobus modis, i. quando forma *denominans* in uno tantum extremo est, in cæteris v duntaxat extrinseca habitudo ad illud. Nec hoc modo dicitur, vid. Exerc. B. J. c: Mart 2. quando forma *denominans* est intrinsecè in utroque membro, & hoc posteriori modo *Ens* de substantia & Accidente dici asseritur. Cui sententiæ favet Scheiblerus l. i. Metaph. c. 2. art. 3.

### THEOREMA III.

Ens ve est reale vel rationis. Illud re-  
verà in rerum natura existit, etiam nobis  
non cogitantibus. Hoc saltem fingitur,  
non verò existit, etiam nobis id cogitanti-  
bus.

#### *Explicatio.*

§. 1. *Ens reale* duplex est, aliud in intellectu, extra intelle-  
ctum aliud. Hoc dicitur *Ens* extra intellectum, ut Deus, An-  
geli, homines &c. de quibus nemo dubitat esse *Entia realia*.  
Sive enim considero hominem, Angelum, &c. sive non confide-  
ro, tamen existit homo, Angelus. *Ens reale* in intellectu est,  
quod suum esse & actum tantum in intellectu habet, ac propterea  
*Ens rationis* interdum videtur, cum tamen non sit, ut habitus  
scientifici. Observandum, quod etiam illud *Ens* dicatur, quod  
fit aptum, ut actu in rerum natura sit. Aptitudinem verò ac-  
cipit tribus modis, 1. *positive* de omni Ente, quod jam actu existit  
imò etiam de eo, cui repugnat *non esse*. 2. *privative*, quatenus  
scilicet excludit *actualement* *Entitatem*, & tamen respectum habet  
ad illam, vulgò dicuntur *Entia in potentia*. 3. & hujus loci pro-  
pria *medio modo* sumitur, quæ scilicet *existentiam actualem* ab-  
solutè nec ponit nec tollit, vel ab utraque indifferentiam quan-  
dam præcisè abstrahit. vid. Dn. D. Calovium in Metaph. suâ di-  
vinâ part. gen. de Ente.

§. 2. *Ens*

§. 2. *Ens rationis ambiguitè* dicitur, quod rationis est particeps, & recurrit cum *Ente rationali*, sic homo dici potest *Ens rationis*; sed significatio ista prorsus est impropria, & hoc loco alienissima. Deinde illud vocari amat *Ens rationis*, quod *subjectivè* est in ratione, nempe ut accidens in subjecto: quomodo species intelligibiles, scientiæ, habitusq; intellectuales propriè in intellectu esse, suamq; essentiam in eo obtinere rectè dicuntur. Paucis me ut expediam, verba Dn. D. Calovij, meo faciam. *Hoc loco* inquit, *sumitur Ens rationis pro ut opponitur Enti reali, adeoq; Ens rationis non est illud quod est in mente subjectivè: hoc enim essentia habet, scilicet aptum esse inherere, causas agnoscit reales, suisq; præditum est affectionibus; neq; id quod est à mente effectivè; esse enim effectum, est affectio Entis realis; neque id, quod objectivè consequenter est intellectu, cum figmenta poetica aliq; Entia rationis sint &c. sed formaliter Ens rationis est id, quod non habet verè esse, nisi per mentis fictionem.* plura ibid:

#### THEOREMA IV.

**Ens est vel actu vel potentiâ. Actus est, quod per se subsistit s. actum essendi obtinet in se se, & verè persistit in rerum natura. Potentiâ est, quod actu essendi caret, eundem tamen virtute causæ producentis, ut accipiat, non repugnat.**

##### *Explicatio.*

§. i. Circa divisionem hanc *Entis* observandum venit, quod illa *Entibus particularibus* diversimodè applicetur. Primum enim intelligitur *Actus & Potentiâ* de Entibus *essentialiter* divis, quorum alterum est *Ens actu*, alterum *Ens potentiâ*: ut ita sit divisio unius communis in diversa Entia, non aliter, atque si de Rosa, quæ jam actu est, dicas, quod sit *Ens*, & de aliâ, quæ actu non est, sed *adhuc in potentiâ & in suis causis*, & principiis, quod sit *Ens* utrumque. Ita quidem dici potest: Alterum ta-

men erit *Ens actu*, alterum *potentiâ*, vid. Exerc. Metaph. D. Jac. Mart. Audiamus Scheiblerum l. 1. Metaph. c. 14. art. 3. *Ens actu dicitur quod non latet in causis, sed quod esse habet extra causas*: Potestque id esse bifariam, vel ut habeat repugnantiam ad *Esse* sub causis, & sic Deus dicitur *Ens esse actuale*. Vel, quia quod ante latebat in causis, egressum est è causis. Sic *Entia Creatata* dicuntur *Entia Actualitya*

§. 2. Distincta sunt *esse actum vel potentiam*, & *esse actu vel potentiâ*. *Actu* est omne id quod habet actum, quicumque etiam ille sit; undè in specie dici solet. *Ens actu* est, quod est extra causas, vel quod non latitat amplius intra causas, à quibus *esse* suum quasi expectet, quod nondum habet. Sic pullus enatus ex ovo est *ens actu*. Sic pluvia quæ pluit, est *Ens actu*. *Breviter*: per *Ens actu* intelligitur id quod existit, vel in natura positum est, extra causas constitutum, sive è causis emerferit, quas intra ante extitit virtualiter, ut creaturæ, postquam à Deo in esse actuali constitutæ, sive ut simpliciter repudiet causas, & nunquam non existentiam suam obtineat. vid. Metaph. Div. Dn. D. Calovi.

§. 3. *Actus* est per quem aliquid est in actu: Hinc dicitur illa ratio, quæ facit, ut *Ens* sit actu; *actus* enim denominat *Ens actu*, vel facit, ut *Ens* sit actu & extra causas. Quod *actu* est, illud per aliquam vim actuandi tale sit oportet, qua constituatur in esse actuali. Quæ vis actuandi vocatur & *actualitas* rei. Vid. Excell. Dn. D. Scharfij Theor. Transf. dis. 9.

§. 4. Vox *Actus* sumitur vel absolute vel respectivè. Absolute significat simpliciter perfectionem rei, prout caret potentialitate. Respectivè, importat relationem 1. ad potentiam, quâdò & actus correspondet potentiæ vel active vel passive. 2. ad esse quomodo actus vocatur, qui dat esse vel substantiale, vel accidentale, quanquam hæc significatio ad priorem posset revocari qui actus ita sumtus correspondenter ad potentiam alius est, qui actuat potentiam activam, ut actio, contemplatio, ambulatio: alius qui actuat potentiam passivam, ut eruditio, virtus, forma quævis.

§. 5. *Actus* est vel essentia vel subsistentia. Hic secundùm Dn. D. Scharfium rem ita actuat, ut ejus essentia constet, quæ definitio-



*finitione representatur.* Sic *actum essentiae* considero in Rosa, quando ejus quidditatem scrutor sine ulla consideratione *subsistentiae*. Ille est modus subsistendi ultimus, quo non tantum aliquid quidditative esse dicitur, sed etiam in certa & propria materia *existere* sumitur. Sic humanitas prout est in supposito individuo; vel humanitas personata habet actum *subsistentiae*. Alias absolute vocatur *subsistentia, suppositivitas & personalitas*.

§. 6. Probè notandum est discrimen inter *esse potentiam* & *esse potentiam*. *Ens in potentia* est, quod nondum verè est, sed potest esse. Sic Rosa in hyeme est *Ens potestate*. Observant hic Auctores, quod *Ens in potentia* possit etiam esse attributum *Entis actualis*, secundum quod intelligatur ei deesse aliquid, quod habere potest. Ita puer est *in potentia* ad esse doctrinae, id est, ut doctus fiat, & paries est *in potentia* ad accipiendam albedinem. Et summatim sic aliqua res est *in potentia* ad agendum & patiendum. Sed dicat quis; Ea ratione *Ens in potentia* ratione subjecti, sive per denominationem ad subjectum etiam *Ens actuale* est, ut puer *Ens actuale* est, etiam tunc, quando sumitur *in potentia* ad eruditionem; Ad hoc cum Scheiblero c. l. tit. VI. art. 1. dicimus, quod scilicet esse *in potentia*, non sit denominatio ejus quod nondum existat, quando non puer dicitur *Ens in potentia*, sed ipsa doctrina dicitur *esse in potentia*, & non paries dicitur *esse in potentia*, sed albedo. Ergò doctrina in non habente doctrinam, dicitur *Ens potentiale*, & albedo in non habente albedinem, dicitur *Ens potentiale*.

§. 7. Aliquid *esse in potentia* potest sumi bifariam 1. *negative* ut esse in potentia dicatur quod non est actu, seu quod non existit: 2. *per denominationem à causa*, quomodo in potentia dicitur id, quod adhuc latet in causis, s. lateat in potentia efficientis, s. in materia. E. G. Homo nascendus in potentia esse dicitur, supple, si datur causa efficiens, quae sufficiens est ad imperandum homini esse suum actuale, *priori modo* dicitur *potentiale*, in quantum scilicet significatur carentia actus.

§. 8. *Potentia* modò à *potestate* distinguitur, modò *equipollet*. *Equipollens potentia* sumitur cum potestate in dictis ubi

bi-

bi idem erat, *Enspotestate & Ens potentia*. Distinguitur autem à potestate, tum vox *potentie* significat præcisè ipsam vim & virtutem agendi vel patiendi. *Potestas* verò significat jus vel jurisdictionem s. autoritatem in agendo. Exemplo res fit clarior. Homo quivis, cum ab alio hostiliter invaditur, habet potestatem s. jus se defendendi; sed sæpè ob imbecillitatem suam vel hostium copiam, non habet potentiam se defendendi. Vid. Excell. Dn. D. Scharfius. Theor. Transc.

§. 9. *Potentia* hoc loco non sumitur *prædicamentaliter*, quæ scilicet est qualitas certa in *prædicamento qualitatis*, sed *transcendentaliter*, quæ scilicet vis est s. conditio essentialis, secundum quam actuari potest.

§. 10. *Transcendentalis potentia* est vel *activa* vel *passiva*. *Activa* est principium transmutandi aliud in quantum aliud. Vid. D. Jac: Mart. Exerc. Metaph. Quemadmodum potens appellatur is, qui potens est facere quod vult sine alio, & sine impedimento: sic *potentia activa* est illa ratio, s. ista vis, secundum quam potest facere quod vult.

§. 11. Est autem vel *infinita* vel  *finita*, illa est *Entis infiniti*, & dicitur omnipotentia, sic solus Deus est infinite potens, quanto enim perfectius aliquid existit formâ suâ, qua agit; tanto major est ejus potentia: Atqui Deus forma & actus est summus. E. potentia quoque in eo est summa infinita, quæ est norma omnis potentie activæ, nempe à quo omnis repassio abest, eò quod in finitas facultatis nihil sibi resistere patiatur.

§. 12. *Potentia illa divina* dispescitur in *absolutam & ordinatam*. *absolutam* vocant, qua Deus omnia simpliciter potest, fundata n. est supra *esse divinum* quod est *infinitum*. *Ordinata* DEI potentia dicitur, quæ ad aliquod attributum divinum determinatur, & super illud fundatur, nempe vel super misericordiam, vel super justitiam, vel bonitatem &c. Hac potentia Deus cum causis secundis concurrat, diciturq; aliquid *non posse*, quod *absolutæ potentie* tribuendum est. Sic Deus peccatorem agentem pœnitentiam, absolutâ suâ potentia *posset* abjicere & perdere; At, consideratâ suâ *miserordia & Clementia*, hoc *non potest*. Hujus distinctionis insignem utilitatem contra Plinium & Plutarchum vide in Exerc. Metaph. Jac: Mart. 3. Theor. 8.

§. 13. Fi-

§. 13- *Finita potentia est Entium finitorum nempe creaturorum, quæ quidem vim aliquam agendi habent. Sed quia illa potentia terminatur in aliquo factibili, neque omnia agere possunt creaturæ, propterea dicitur potentia finita. Autores dividunt in rationalem & irrationalem; Rationalis dicitur illis potentia libera & voluntaria, irrationalis potentia dicitur quæ sine ratione & libertate agit.*

§. 14. *Potentia passiva est principium in re, quo quippiam, potest pati ab altero, quatenus alterum. Subdividi solet ab Autoribus in naturalem & obedientialem. Naturalis est inclinatio s. propensio realis ipsius rei, quæ per actum naturalem, ab agente naturali actuari potest, vel, ut eam definit D. Jacob. Martini. *Potentia naturalis est, quæ ab agente suo naturali in actum naturalem potest deduci naturaliter. Obedientialis est, quæ non à principio naturali, naturaliter deducitur in suum actum, sed ab aliquo externo præter suam naturam. Et sic potentia illa admittere potest actum, non per naturalem inclinationem sed saltem per repugnantiam; undè & negativè dici solet.**

#### PORISMATA.

I. *Impossibile est idem simul esse & non esse.*

*Explicatio.*

*Nullum Ens simul est non est, & ut Philosophus ait: Impossibile est idem simul affirmari & negari de eodem. Ex quibus liquet, non tantum de esse & non esse universaliter sumto, sed & de tali esse s. quovis esse determinatori porisma hoc venire intelligendum. Sic impossibile est Johannem simul esse & non esse s. esse nigrum & non esse nigrum, s. esse hominem & non esse hominem. Notanda autem i. particula, Idem, utpote Ens non tantum participialiter sumtum, sed etiam nominaliter, adeoque esse non tantum existentia quo res extra causas posita, sed etiam, essentia, quâ res spectatur secundum prædicata essentialia & extra essentialia necessaria, ut loquitur pl. Reverendus Dn. D. Seldius disp. Metaph. 2. 2. Simul id est eodem tempore. Aliàs tempore diverso potest idem esse & non esse. Metaphysicorum alij quos inter Dn. Daniel Stahlius tit. 1. in Reg. philos. tit. 1. Reg. VI. Cum reliquis, inquit, requisitis, quæ ad veram contradictionem exigit, ista propositio est intelligenda. Impossibile est idem simul esse & non esse*

esse πρὸς τὸ αὐτὸ, ad idem natura τὸ αὐτὸ secundum idē, ἔσ' αἰσάτως  
eodem modo. 3. Impossibile, intellige impossibilitatem respectivam  
non tantum, qua quid fieri non potest ordinario modo, seu re-  
spectu potentiae divinae, & sic impossibile est idem corpus esse  
grave, & tamen ferri sursum; parere, & tamen esse virginem,  
sed etiam absolutam, qua quid fieri non potest ratione potentiae  
divinae extraordinarie, & ab omni ordine ac dependentia abso-  
luta, sic impossibile est fieri factum infectum.

Evolutis hisce vocabulis, quid de porismate ipsomet cen-  
sendum, in considerationem venit. Quod in protrito dicitur  
verbo: *Nil tam absurdè dici potest, quod non inveniat Patro-  
num*; idem circa porisma praesens, contingit; extitisse enim o-  
lim Judaeorum nonnullos ferunt, qui, duo contradictoria simul  
esse vera, & simul esse falsa, affirmare non dubitarunt. Verum,  
*si condictoria simul possint esse vera & falsa*, dixerim ego, inquit  
Cl. Dn. Spenglerus, *hoc admittentem esse simul hominem & non  
hominem, simul rationalem & non rationalem, quo quid absurdius  
dici possit, non video*. Explicari potest exemplo: Quæritur an  
*Deus sit*? Ajunt alij, negant alij: hinc simpliciter oritur contra-  
dictio. At condictoria non possunt simul esse vera. Videatur  
Excell. & Celeberrimi Dn. Johannis Spindleri Patroni & Præ-  
ceptoris mei colendi tractatus logicus, Tract. 6. Art. 3. Sect. 1.  
Reg. 2. una ergo harum vera sit, altera falsa necesse est: *Deus est,  
Deus non est*; Prior vera, posterior falsa. Deus sanxit hanc legem,  
*quæ est verax, & quæ sunt affirmat esse; nec miscet illa quæ non  
sunt, & ea quæ sunt.*

## II. Non Entis nulla est scientia.

### Explicatio.

Vox *Non - Entis* sumitur pro eo, quod non est æternum,  
aut quod in respectu ad aliud non pollet eâ perfectione, cum  
quo comparatur; Quo sensu *creature* omnes à nonnullis vo-  
cantur *non-Entia*, non quasi planè in rerum natura non sint,  
sed quia ad naturam *non Entis* ob imperfectionem suam defle-  
ctunt, nec habent esse à se, sed per emanationem & influxum  
*primi Entis*. Sumitur *non-Ens* pro falso, sic Chimera, Hippo-  
centaurus est *non - Ens*. Undè hoc posteriori modo sumptâ vo-  
ce *Entis* porisma praesens valet, quod scilicet *non Entis* id est ejus  
quod

quod falsum est, nulla sit sciētia. Possit objici: Etiam falsi, quod nec est, nec esse potest dari scientiam; sic nec vacuum, nec purgatorium datur, & tamen illorum datur scientia? ad quam objectionem Dn. Stahlij verba mutuando responderi potest, quod cognitio sit duplex, *positiva*, & *privativa* cognitio ejus quod nō est, est quādō aliquis putat id, quod non est, esse, & falsam propositionem esse veram, de qua cognitione hīc loquitur Aristot. *Privativa* autem non Entis cognitio est, cognoscere ipsum non esse, est falsam propositionē esse, quā cognitionem dari non negat Arist: propterea in libris phys. docuit *infinitum & vacuum non dari*, alleg. D. Stahlio l. d. Confer Excellentissimum Sperlingium in Instit. phys. l. 2. quæst. 5.

III. *Ens importat excellentiam non defectum.*

*Explicatio.*

Ens negativum & privativum dicit quidem defectum *Negativum* enim *Ens* entitatem aliquam tollit, & fit hoc vel *absolute*, & dicitur purè negativum, ut non visus; vel *in aliquo* scilicet *subjecto* capaci, in quo naturaliter ante fuit, vel inesse debuit, ut cæcitas. *Privativum* dicitur, quod sit absentia alicujus perfectionis naturalis & sic *differt privatio & negatio*, illa dicit rei essentiam absolutam, non habito respectu ad certū subjectum; *Hæc* verò talem quæ in sua natura involvit ordinem ad subjectum aptum; sed tale quid æquivocè tantū dicitur *Ens*. Quod propriè *Ens* est; Illud, sub ratione essendi simul involvit præstantiam aliquam. Audiamus Dn. D. Scharfium. *Deficit autem, inquit, aliquid, in quantum non Ens est, Vel in quantum non esse potest, suove esse privari: quatenus verò esse habet, vel Ens est, eatenus non signatur defectus in ipso sed potius excellentia quedā.* A partibus etiam hujus porismatis frat Dn. D. Calovius c. l. part. gener. p. m. 193. *Dicitur, inquit ab esse quod quod recedit à non esse.* Hoc autem nihil aliud est, quam summus defectus: Istud ergò defectum importare nequit: *quia idem non potest simul esse, & non esse* Hinc quò quid magis est *Ens*, eò etiam excellentius est, quia magis à defectu & imperfectione elongatū est. Creature verò ad hanc excellentiam non perveniunt, quia quælibet earum plus habet *non Entis*, quàm *Entis*.

SOLI DEO GLORIA.



**E**st aliquid claris ortum Majoribus esse,  
Est aliquid Patrum posse probare decus.  
At majus longè est Nomen virtute paraf. e,  
Laudibus & propriis ille per ora virum.  
Hujus Tu gnarus RODA es, sub pectore docto  
Omnigenas mentis condere quæris opes.  
Maçte bonis tantis ! Commendo hæc plausibus orfa;  
Et precor ut quondam præmia digna feras.

Præses.

*Ad Doctissimum*

**Dn. Respondentem.**

**N**on hoc laude caret didicisse fideliter artes,  
At tibi quid prodest optima notitia,  
Quæ venit in medium nunquã, nec si capit *altm*  
Dicere scire tuum egregium?  
Ergò laudandum specimen quod promis in Entis  
Naturam inquirens, dum loca docta subis,  
Non deerit merces, sic pergito summus Apollo  
His tibi pro meritis præmia justa dabit.

f.  
Christophorus Nottnagel  
P. P.

05 A 803

ULB Halle 3  
003 767 329



WMA

24









Farbkarte #13

B.I.G.

NOMINE JESU  
 UM METAPHYSICARUM  
 CUNDA  
 DE  
**TURA**  
 SENDI  
*Quam*  
 PRÆSIDIO  
 S MAGNIFICI  
 VIRI  
 TQUE EXCELLENTISSIMI  
**IANI TRENTSCHII,**  
 APHYSES PROFESSORIS  
 CELEBERRIMI.  
 troni ac Promotoris omni  
 ltu aviternum deve-  
 erandi  
*rum Examinei subicit*  
**FRIDERICUS à RODA,**  
 sis Thuringus,  
 ITOR,  
*ri ad diem Septembr*  
 temeridianis.

---

**EBERGÆ**  
 nes Röhnerus, Acad. Typogr.  
 DC. LII.